

I. Postolus 1. ad Corinth. 7. de Viduis ait. **Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis sic permanere, sicut & ego. Quod si non se continent, nubant.** Et in prima ad Timotheum cap. 5. De Viduis junioribus dicit: **Polo ergo juniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare adversario male dicere gratia.**

Denique generaliter in citato cap. 7. Epistola ad Corinthios: **Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat tantum in Domino.**

II. Ex his Apostoli clarissimis verbis uno consensu tradere Patres, conjuges, vinculo Matrimonii per mortem soluto, posse libere ad alias nuptias transire; unaque Hæreticis annoveraverunt, qui secundas nuptias tamquam malas & veritas reprobabant.

Unde Patres Synodi Nicænæ **Can. 8.** statuerunt, ut Hæretici qui se **Catharos** sive **Puros** appellabant, ad Ecclesiam redeuntes, ante omnia in seipsum profiteri deberent, quod ad hæreticos & sequentur Catholicæ Ecclesiæ Decreta, id est, **& cum Bigamis se communicare.**

Bigami autem sunt, qui secundas nuptias in ipso facto probare.

III. Nomine secundarum nuptiarum intelliguntur non tantum illæ, quæ primas immediate sequuntur, sed & tertiæ, quartæ, & aliæ quæ sequuntur: neque illas reprobant Ecclesiæ: Apostolus enim dicens: **Quod si dormierit vir ejus, non dicit, primus vel secundus, vel quotus, nec nobis definitum est, quod non definit Apostolus.** Unde nec illas debet damnare nuptias, nec eis verecundiam numeratis inferre, ait S. Augustinus libro de Bono viduitatis cap. 11. apud Gratianum **Cauf. 31. q. 1. Can. 13.** Idem affruitur ibidem **Canone 11.**

IV. Has secundas nuptias demum ut licitas agnoscat Ecclesiæ, si mulier sit soluta à lege viri, vel econtra: id est, si dormierit vir ejus; scilicet dormitione mortis; neque aliter quam per mortem corporalem vinculum Matrimonii rati dissolvi posse credit Ecclesiæ.

V. Unde quantumvis leges Civiles ob captivitatem aut diuturnam absentiam mariti permisissent aliquando mulieri transire ad secundas nuptias, Ecclesiæ tamen ob nullam quantumvis diuturnam conjugis absentiam conjugii transitum ad secundas nuptias permittit, sed eam expectare jubet, quousque de morte conjugis certiorata fuerit.

S. Augustinus in Epistola Canonica ad Amphilochem **Can. 31.** ait: **Quæ cum vir secessit, & non apparet, ante quam de ejus morte certior facta sit, cum alio cohabitavit, mœchatur.** Et **Can. 36.** **Militum uxores, quæ cum mariti ipsarum non appareant, nupserunt, eidem rationi subijciuntur, cui eæ quæ propter maritorum peregrinationem ac absentiam reditu non expectato nupserunt.** Sed res nonnullam hic veniam admittit, quod maritorum sit mortis suspicio.

Plures eandem in rem Canones reperiuntur apud Gratianum. **cauf. 34. q. 2.**

VI. Hinc interrogatus Clemens III. **de mulieribus quæ viros suos captivitate vel peregrinationis causa absentes, ultra septennium fuerint prætolatæ; nec certificari possunt de vita aut morte ipsorum, licet super hoc sollicitudinem adhibuerint diligentem; & pro juvenili ætate seu fragilitate carnis humanæ nequeunt continere, petentes aliis copulari, quod respondit, quantumcumque annorum spatio ita remaneant viveatibus viris suis, non possunt ad aliorum confortium Canonicè convolare; nec (ait) auctoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.** **Cap. 19. De Sponsalibus.**

Et universis Christianis in captivitate Saracenorum positus scribit Lucius III. in **Cap. 2. De Secundis nuptiis,**

ut nullus ex vobis amodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei **firma certitudine** constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus.

His insistentibus Synodus Diocesana Mechliniensis anno 1609. **tit. 9. c. 10.** decernit: **Cum ex longa conjugis absentia non resultet certitudo de ejus obitu, & mors non præsumatur, sed probanda sit, (quilibet enim vivere præsumitur) ad secundas nuptias convolare desiderans Matrimonio non jungatur, nisi habita prius legitima certitudine de morte prioris conjugis; etiamsi non septem tantum multis periculum est, sed etiam viginti, triginta & plures annos continuos eum abfuisse constiterit.**

VII. Certitudinem ergo de morte conjugis requirunt Canones priusquam ad secundas nuptias transire conjux possit, aut iudex transitum permittere queat; ad certum probationis genus non exprimitur; sed iudicio & examini iudicis permittitur, ut hic ex allatis testimoniis aliisque concurrentibus circumstantiis iudicet, num certitudo sufficiens habeatur de morte conjugis, ut secundæ nuptiæ permittantur; uti resolvit Zypæus **Consul. 1. De Secundis Nuptiis.**

VIII. Matrimonio per mortem naturalem mariti soluto, adhuc integrum non erat juxta leges Civiles uxori superstitem ad secundas nuptias transire, sed jubebatur per annum defunctum maritum lugere, & à nuptiis abstinere; alias tam ipsa, quam maritus qui eam ducebat, nec non pater qui eam nuptiis collocabat, & pater mariti, cum posset filium prohibere, infamia notabantur: **L. 1. § 11. § 1. ff. De His qui notantur infamia.** Item **L. 1. § 2. Cod. De Secundis Nuptiis.** In quarum prima plures pœnæ, in mulierem intra annum luctus nubentem decernuntur; & in secunda annus qui juxta anteriores leges concludebatur intra decem mensium spatium qui erat annus lunaris, extenditur ad annum solarem duodecim mensium.

IX. Plures sanæ nec contemnendæ fuere harum legum rationes. Prima quidem eaque præcipua, ut vitaretur sanguinis turbatio, & ne frequenter incertum fieret, quis natæ prolis pater esset, an primus, an secundus maritus; quæ ratio occurrit in citata **lege 11. § 1.**

Ad hæc vetitum fuit mulieri mox à morte mariti alteri nubere, ne alias suspensionem ingereret perpetrati, viro adhuc vivente, adulterii, vel saltem de secundis nuptiis cogitasse cum eo, cui nubere adeo festinat.

Accedit reverentia illa, quam uxor debet memoriæ sui mariti: Nam ut Pompeius ad uxorem Corneliam ait apud Lucanum, **Ultima debet esse fides lugere virum:** præsertim quia commune est conjugium morientium votum, ne conjux superstes ad secundas nuptias transeat.

X. His tamen rationibus non obstantibus, Ecclesiæ credidit, conjugii superstitem mox à morte mariti liberum esse ad secundas nuptias transire, eò quod Apostolus simpliciter pronuntiet, mulierem, ut dormierit vir ejus, esse liberatam à lege qua viro tenebatur, ut cui vellet, nubat.

XI. Hinc ulterius credidit, mulierem secundum indulgentiam sibi ab Apostolo datam ad secundas nuptias inter annum à morte viri transeuntem infamiam notam non mereri, atque in terminis responderunt Urbanus III. & Innocentius III. in **Cap. 4. § 5. De secundis Nuptiis.** **Cum** Apostolus dicat (ait Urbanus) **Mulier viro suo mortuo soluta à lege viri sui, in Domino nubat, cui voluerit:** per licentiam & auctoritatem Apostoli ejus infamia aboletur. **Et Innocentius eadem Apostoli auctoritate adducta ait:** Non debet legalis infamia sustinere pacturam, quæ licet post viri obitum intra tempus luctus (scilicet unius anni spatium) nubat, concessa sibi ab Apostolo utitur potestate, cum in his præsertim secularibus leges non dedignantur sacros Canones imitari.

XII. Nec tantum pœna infamiae; sed eadem ratione omnes aliæ pœnæ contra viduas intra annum luctus nubentes Legibus Civilibus decretæ hodie omnino sunt sublata; & ita iudicatum refert Antonius Faber ad Codicem **Lib. 5. t. 5. De**

5. Definit. & ibidem nota s. infertur: **Itaque non est deterior conditio viduæ intra annum, quam post annum nubentis.**

XIII. Id ipsum notavit Gudelinus **Lib. 1. De Jure novissimo cap. 12.** ubi etiam ex Julio Claro monet, quod si mulier non quidem intra annum luctus nubat, sed luxuriose vivat, & ex stupro pariat, eam hanc infamiam & alias pœnas à Legibus decretas non evadere.

XIV. Insuper si quæ pœnæ in odium secundarum nuptiarum per Leges decretæ fuerint, hodie sublatae sunt: at eæ quæ non tantum in pœnam iterantium nuptias, quam in favorem liberorum primi Matrimonii, aliæ consideratione statuta sunt, etiamnum hodie in usu sunt; uti observat Gudelinus loco citato, & Zypæus in notitia Juris Belgici titulo **De secundis nuptiis** (non enim (ait) mens D. Pauli fuit aliud corrumpere ex publicis legibus, jura parentum & liberorum jure moderantibus).

XV. Porro quamvis Ecclesiæ secundas & ulteriores nuptias nunquam improbare, semper tamen agnovit, iteratas nuptias aliquam incontinentiæ suspensionem ingerere, ipsosque iterantes de ea non nihil reddi suspectos. Hæc verò præsumptio fortior esse solet in iis qui tertio, quam in iis qui secundo; ac rursus servata proportione vehementer in iis qui quarto, quam qui tertio nuptias iterant. Hinc pridem Patres mitius cum Bigamis, quam cum Trigamis egerunt, hancque intemperantiæ speciem inerepantes asperioribus verbis uti fuerunt trigamiam ipsam subinde **honestam fornicationem** vocantes, non secundas, tertias, quartas aut ulteriores absolute improbant; sed incontinentiam toties nuptias iterantium redarguentes.

XVI. Eodem sensu accipiendi sunt Canones pœnitentiæ Bigamis sive nuptias iterantibus imponentes; atque inter alios Synodi Neocæsariensis **Can. 3.** qui ex versione Ilidori refertur apud Gratianum **Cauf. 31. q. 1. Can. 8.** his verbis: **De his, qui frequenter uxores ducunt, & de his, quæ sapius nubunt, tempus quidem pœnitentiæ his manifestum constitutum est, sed conversatio & fides eorum tempus abbreviat.**

Hoc Canone pœnitentiæ veris Bigamis imponi etiam Baronius agnoscit ad **annum 314. num. 91.** **Non quod secundum Matrimonium contrahendo peccent (inquit)**

sed quod suam ipsius incontinentiam manifestent; & bigamiam, quæ in humanæ imbecillitatis remedium instituta est, licentius usurpet.

XVII. Prædicto Canoni Gratianus conjungit Canonem 7. ejusdem Synodi, quem his verbis expressit: **Presbyter, cum verò convivio secundarum nuptiarum interesse non debere: Maxime cum præcipiatur secundis nuptiis pœnitentiam tribuere; quis enim Presbyter, qui propter convivium illis consentiat nuptiis?**

Hoc est ait Zonaras ad hunc Canonem: **Qui fieri potest, ut pœnati à Digamo exigere non pudor sit ei, qui Digami factum à se non improbari, cum nuptiis secundis ipsæ se interfuerit, satis ostendit.**

XVIII. Quamvis hodie nulla pœnitentiæ iterantium nuptias imponatur; atque nuptiæ secundæ etiam à Presbytero assistente probentur, nihilominus ostendit Ecclesiæ, non æquè secundas ac primas nuptias sibi probari; dum has & non illas à Sacerdote specialiter benedici jubet. **Cap. 3. De secundis nuptiis, & in Cap. 1. eodem** vult Alexander III. Capellanum qui benedictionem secundis nuptiis impendit, ab officio Beneficiorum suspensionem, cum literarum Episcoporum testimonio ad Sedem Apostolicam destinari.

Licet hæc pœna ac remissio ad Sedem Apostolicam hodie non sit in usu, passim tamen moderna Ritualia præscribunt, secundas nuptias non esse benedicendas; præsertim si sint secundæ ex parte uxoris, hæcque semel benedicta fuerit.

XIX. Viduitatem secundis nuptiis præferendam esse, nec has tamen improbandas late probat Augustinus libro de **Bono Viduitatis** seu epistola ad Julianam Viduam, atque inter alia ibidem **cap. 4.** scribit: **Quapropter hoc primum oportet ut noveris, bono quod elegisti non damnari secundas nuptias, sed inferius honorari. Nam sicut bonum est, sanctæ Virginitatis, quod elegit filia tua, non damnat unas nuptias tuas; sic nec viduitas tuâ cujusdam secundas. Nec ita extollas tuum, ut quod malum non est tantquam malum criminis alienum; sed tanto magis gaude de bono tuo, quanto magis vides, non tantum illo devitari mala, sed quædam bona etiam superari.**

TITULUS XVI.

De Aedificandis, Consecrandis & reparandis Ecclesiis.

CAPUT I.

De Scopo Templorum & eorum Ornatu.

1. **Loca cultui Divino destinata jam pridem dicta fuere Ecclesiæ.**
2. **Christiani primitus loca hac volebant vocare Tempora.**
3. **Primis Ecclesiæ saculis hujusmodi loca habuere Christiani.**
4. **Prima ratio exstruendi hujusmodi loca.**
5. **Secunda ratio.**
6. **Tertia ratio.**
7. **Sancti Patres credebant convenientius orationis causa convenire ad Ecclesiam, quam domi orare.**
8. **Ut scopus Ecclesiarum obtineatur, omnia disponenda ut ad pietatem excitent.**
9. **Actiones profane ab Ecclesiis arcenda.**
10. **Quid de arcendis profanis actionibus decreverint Synodi Belgicæ?**
11. **Neque in Cæmeteriis permittenda.**
12. **Nec mercatus rerum ad usum Ecclesiæ spectantium in Templis permittendus.**

Van Eijpen Jur. Eccl. P. II.

13. **Non sunt permittendi pauperes elemosynarum causa discurre per Ecclesiæ.**
14. **Interior Templorum ornatu debet esse compositus ad excitandam populi devotionem.**
15. **Hinc receptus usus SS. Imaginum; & quomodo eum probaverit Synodus Tridentina.**
16. **Populus docendus, cultum imaginibus non deberi ob earum materiam aut elegantiam.**
17. **Ne populus in hunc errorem & abusum incidat, aliquando certæ imagines tollenda.**
18. **In hac amotione cum magna cautione & prudentia procedendum.**
19. **Imagines in Templis proponuntur ceu quidam idiomatum libri;**
20. **Quare historia Redemptionis, & Sanctorum in picture proponantur.**
21. **Solicite cavendum, ne falsi dogmatis imagines in Ecclesiis exponantur.**
22. **Non semper tollenda imagines aliquid falsi exprimentes.**
23. **An conveniat proponi imagines Sanctissimæ Trinitatis?**
24. **Superstitio in imaginibus vitanda.**

Xx

25 Omnis

25. Omnis laſcivia & inhoneſtas in pieturis & imaginibus ſedulo cavenda.
26. Imagines Ethnicorum fabulas exprimentes à Templis tollenda.
27. Nec in domibus aut hortis imagines laſcivae ſolenda.
28. Imagines Divorum ita pingenda ut homines ad pietatem excitent.
29. Abusus eſt ſtatuis D. Virginis aliorumque SS. profanum & levem ornatum adſicere.
30. Imaginibus & ſtatuis Salvatoris hitorias Scripurae exprimentibus ſubinde aliquid minus honeſtum immiſcetur.
31. Nemo inſolitam imaginem publicè colendam expoſnere poteſt ſine approbatione Epilcopi.
32. Quae attendere debeant Epilcopi priuſquam imagines probent.
33. Omnia in Templis ordinatè agenda ſunt; hoc ut fieret, olim inſuſcitabant Diaconi.
34. Hunc in ſinem olim Clericorum & Laicorum loca erant diſtincta.
35. Locus Clericorum hodie dicitur Chorus.
36. Solebat velo à reliqua parte Templi ſeparari: & ejuſ hodie ſuperſtes veſtigium.
37. Quomodo Laiciſ choros patere debeat juxta SS. Canones.
38. Patronis hodie in choro locus competere ſolet.
39. Similiter & Magiſtraibus.
40. Mulieres ad choros non admittenda.
41. Convenit ut mulieres à viris in Eccleſia ſeparatae ſint.



Ecclēſia vox Græca propriè ſignificans concionem ſive Fidelium Congregationem, à temporibus Apoſtolorum frequenter etiam ſumpta fuit pro Æde facta, publico pietatis exercitio, & cultui Divino deſtinata, uti patet ex Apoſtolo 1. ad Corinthios cap. 11. ubi ait: *Conventibus vobis in eccleſiam audio ſeſſuras eſſe inter vos.* Et paucis interjectis; *Numquid domos non habetis ad manducandum aut bibendum aut eccleſiam Dei contemnitis;* Hic Apoſtolum loqui de loco ad quem Fideles conveniunt evidens eſt; & ita locum poſt S. Baſilium in *Regulis brevioribus interrogat.* 310. exponit S. Auguſtinus *quaſt.* 57. in Leviticum dicens: *“Eccleſia dicitur locus, quo Eccleſia congregatur. Nam Eccleſia homines ſunt, de quibus dicitur, ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam. Hoc tamen vocari etiam ipſam domum orationum, idem Apoſtolo teſtis eſt, ubi ait; Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, an Eccleſiam Dei contemnitis? Et hoc quotidianus loquendi uſus obtinuit, ut in Eccleſiam conſigere non dicatur, niſi qui ad locum ipſum parietique prodierit, quibus Eccleſiae congregatio continetur.*

II. Quin & Chriſtiani multo tempore loca ad quae orationis & cultus divini peragendi cauſa conveniebant, *Eccleſias* potius, quam *templa* dixere; imò à *templis* vocabulo ſollicitè abſtinuere; ut non ſolum à ritibus Ethnicorum, verùm etiam à vocabulis ſe abhorere indicarent. Uſus enim eo tempore obtinebat, ut *templi* nomine intelligeretur locus ad ſacrificia & cultum falſis gentium Diis exhibenda deſtinatus; atque hoc ſenſu Octavius apud Minutium Felicem, Optatus Milevitanus, & Hieronymus negant, Chriſtianos habere templa; uti monet Bellarminus *lib. 3. De Cultu Sanctorum cap. 4.*

III. Porro loca jam pridem ſpecialiter fuiſſe deſtinata, ad quae Fideles convenirent orationis, Sacrificii incruenti offerendi, aliaque Religionis & pietatis opera peragendi cauſa, non tantum ipſe Apoſtolo locus ſupra relatus; ſed om-

nes priſtini Scriptores manifeſtè evincunt; & pluribus probat Bellarminus loco citato; ibique notat, quatuor præcipuè de cauſis Eccleſias à Chriſtianiſ fuiſſe conſtructas.

IV. Licet enim ſciant, divinitatem loco non concludi, jamque horam veniſſe de qua ad mulierem Samaritanam dixerat Salvator, quando veri adoratores adorabunt *Patrem in ſpiritu & veritate, nam & Pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Joannis 4. Nec non Apoſtolo: *Volo viros orare in omni loco levantem manus puras, ad Timoth. 2.* ſciebant tamen ſummam eſſe utilitatem imò & neceſſitatem, ut loca quædam eſſent ſpecialiter deputata, ad quae divina audiri unà & oraturi Fideles convenirent; eo quod hujusmodi loca ad cultum Divinum, orationemque ſpecialiter dedicata, etiam ſpeciali titulo præſentate ad pietatem excitent; præſertim dum omnia quæ in locis illis aguntur, nec non totus eorum ornatuſ compoſita ſunt ad imprimendam majorem de Dei majeſtate ideam, & erga res ſacras & Religionis noſtræ myſteria reverentiam provocandam; omniaque decentius in locis ſic ad uſum ſacrorum dedicatis & adornatis nata ſunt peragi, quam ſi quibuſvis locis uſibus profanis indiſcruſte ſubſervientibus agerentur.

V. Deinde omnino conveniens eſt, populum orationis & inſtructionis cauſa in unum convenire: eo quod piorum hominum frequenti conſenſu excitentur animus, & objecto aliorum exemplo ad Dei cultum magis erigatur. Ut enim propius admotiones facibus ardent, iidem ſepoſiti languelcunt; ſic in Chriſtianorum ampliori conventu ſtudium pietatis accenditur; in ſolitudine verò aliorum Fidelium exemplo deſtitutum ſæpe remittitur.

VI. Denique Patribus indubitatum fuit, quod in locis Deo ejuſque cultui peculiariſter conſecratis; quæ propterea jam pridem *Domus Dei*, vel etiam *Dominica* aut *Oratoria* ſive *domus orationis* dicta ſunt, Deus ſpeciali modo preces & vota Fidelium benignus ſuſcipiat & exaudiat; quemadmodum Salomoni in dedicatione templi Hieroſolymitani promiſſum legitur.

VII. Unde S. Chryſoſtomus *Homilia 30.* contra Anomæos Eccleſias contemnentem, dicentemque *orare domi poſſumus*; ita reſpondet: *“Te homo decipis, & magno in errore verſaris; nam eſti domi quoque detur orandi facultas, tamen fieri non poteſt, ut domi tam bene ores, quam in Eccleſia. “Et alibi: “Et domi quidem orari poteſt; ſic autem ut in Eccleſia, non poteſt. “Homil. 6. ad Populum Antioch.*

Sanctus Baſilius libro de Baptiſmo *cap. 3.* de neceſſitate peragendi divina Myſteria in locis ſacris & divino cultui ſpeciali titulo conſecratis hæc habet: *“Nobis periculum eſt, malè obiti mandati; ſi loci rationem neglexerimus, maxime ſi Sacerdotii myſteria in locis profanis celebraverimus: propterea quod ea res indicium haberet contemptus in celebrante offendiculum quoque generaret.”*

VIII. Ut ſcopum ſeu finem Eccleſiarum, ſive locorum ad divinum cultum dedicatorum populus aſſequeretur, admodum ſolliciti fuere Patres, ut omnia quæ populam ab oratione pietateque aut reverentia avocare poſſent, à locis illis arcerentur; omniaque ita diſponerentur; ut nihil in iis occurreret, quod non pietatis ac reverentiae erga res ſacras fovendæ conduceret; eamque in populo excitaret.

IX. Hinc imprimis ut Eccleſia verè dicitur *Oratorium*, ſive *domus Orationis*, & domus Dei, omnem ab ea abeſſe profanam actionem, tametiſ aliàs de ſe non illicitam, voluerunt.

Synodus VI. vulgo Trullana *Can. 76.* *“Quod non oportet intra ſanctos ambitus cauponarum officinam, vel ciborum ſpecies proponere, vel alias venditiones facere, ſuam venerationem Eccleſiis ſervantes. Salvator enim noſter & Deus, per ſuam in carne vivendi rationem, noſ inſi-*

inſtituens, non facere domum patris ſui domum negotiationis juſſit, qui etiam nummulariorum menſas eſſudit, & eos qui ſacrum commune faciunt, eiecit.

Hinc Canon conſormis eſt Canon 13. Synodi Exoniensis anno 1287. his verbis expreſſus: *“Pius & miſericors Dominus, qui dum pro peccatis noſtris iracundus, miſericordiaz recordatur, templa dominica conſtrui & divinis precibus conſecrari voluit & præcipit in quibus plebs Fidelis, ab omnibus fornicis & ſecularibus operibus abſtinens, per oblationes & pacificas hoſtias, devotè præcipuè orationis iram judicis mitigaret, ipſius clementiam humilitèr poſtulando. Quod idem omnium Dominus tam verbis, quam operibus, ſpecialiter volens deſignare, ſtagello facto de funiculis ementes & vendentes eiecit de templo: aſſerens verans domum ſuam domum fore orationis, & per tale commercium factam fuiſſe ſpeluncam latronum. Ne igitur ubi delictorum eſt venia impetranda, delicta delictis gravius accuſentur: diſtrictè prohibendo ſtatuitur, ne in quibuſdam Eccleſiis noſtræ diœceſis, atriiſ earum vel cœmeteriis, mercata ſeu placita ſecularia de cætero tenentur; ne ullas negotiationes quiſcumque exercere præſumat.”*

Post hæc Concilium Lugdunenſe ſub Gregorio X. in *Cap. 2. De Immunitate Eccleſ. in VI.* perpendens quod *“deceat domum Dei ſanctitudos; deceat ut cujus in pace factus eſt locus, ejuſ cultus ſit cum debita veneratione paciſicus.”* edixit ſequentia: *“Ceſſent in locis illis Univerſitatum & ſocietatum quarumlibet concilia, conciones & publica parlamenta. Ceſſent vana & multò fortius ſæda & profana colloquia. Ceſſent conſabulationes qualibet. Sicut poſtremo quæcumque alia, quæ Divinum poſſunt turbare officium, aut oculos divinæ majeſtatis offendere, ab ipſis proſuſ extraneæ: ne ubi peccatorum eſt venia poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio, aut deprehendantur peccata committi. Ceſſent in Eccleſiis earumque cœmeteriis negotiationes, & præcipuè nundinarum ac fori cultumque tumultus, omnis in eis ſecularium judiciorum ſtrepitus conquieſcat, nulla inibi cauſa per laicos criminalis maxime agitur, ſint loca eadem à laicorum congregationibus aliena.”*

X. Synodi Belgicæ ſimiliter omnem profanam actionem à locis ſacris remotam volentes, imprimis ſtatuerunt, ut Epilcopi *“deambulationes ac profana colloquia impediant; convivia quoque & negotiationes in loco ſacro nullo modo admittantur. Proclamationes verò forenſes non niſi extra templum, & poſt Divinum officium planè abſolutum ſiant; atque ut laici ab his efficacius comprimentur, Magiſtratum locorum aſſiſtentiam implorant Epilcopi, ut etiam ipſorum auctoritate ordinatio ad impediendum hujusmodi inſolentias fiat & publicetur.”*

Hæc Synodus P. I. Mechlinienſis titulo *De Divino Officio; cap. 10. & 11.* Et Synodus P. II. titulo 12. *cap. 9.* addens: *“Nemo in loco ſacro... etiam poſt officium Divinum deambulet, ſub pœna arbitraria.”*

XI. Similia in omnibus paſſim Synodis occurrunt: nec ab ipſis templis, ſed & eorum cœmeteriis tamquam locis ſacris, profanas omnes actiones abeſſe volunt.

“Nec ſine gravi injuria loci ſacri tolerari poteſt, ut in cœmeteriis tripudietur, ideòque id diſtrictè prohibemus, ait Synodus Mechlinienſis tit. 11. cap. 17. Deinde cap. 18. addit: “Liba quoque, placentiæ, & ſimilia in cœmeteriis non vendantur: neque ſtrues lignorum in iis ſiant; & generatim nihil in iis permittatur, quod loci religioni ac ſanctitati repugnet.”

XII. Notandum, quòd citatus Canon Synodi VI. Trullanae, uti & relatus Canon Synodi Exoniensis expreſſe adducant factum Chriſti eſſicentis ementes & vendentes è templo; quo non obſcurè innuitur, etiam Canonum horum prohibitionem ſpectare mercatum eorum, quæ in Sacrificium aut uſum Eccleſiaſticum cedere poſſent. Oves enim & boves aliaque quæ in templo Hieroſolymitano vendeban-

Van Eſpen *jur. Eccl. P. II.*

tur, ad Sacrificia illius temporis pertinebant, uti monet Venerabilis Beda.

Hunc Canonem ſenſum expreſſit S. Carolus in Synodo ſua P. I. *parte 2. cap. 57.* ſtatuens: *“Ne Clericus, aut alius, quivis in Eccleſiis earumque cœmeterio, atrio, veſtibulo, aut porticu, foribuſve, quidquam venale exponat, nec ſi ad uſum quidem Sacrificii vel Eccleſia futurum ſit. “Idipſum ſenſum verbis decrevit Synodus Aqueſis Anno 1583, plureſque alia Synodi.”*

XIII. Multum ad devotionem populi conciliandam conduceret executio Decreti Synodi P. II. Mech. *tit. 12. cap. 17.* *“Pauperes per Eccleſias tempore Milliarum, prædicationum aliorumve Divinorum officiorum, mendicare ſeu eleemoſynas petere non permittantur, ſed ad valvas Eccleſiæ ſtare jubeantur; deputenturque ubique à Superioribus vel Adminiſtratoribus Eccleſiarum, qui pauperes mendicantes ab Eccleſiis arceant & expellant; & quidem, ſi neceſſe fuerit, ſub certo honorario ex bonis menſarum pauperum perſolvendo. “Adde quæ habet S. Carolus in Actis Eccl. Mediol. *part. 3. 55.*”*

XIV. Ipſe inſuper interior templorum ornatus talis ſit oportet, ut ipſum populum ad ſolidam veramque pietatem ac ſincerum Dei cultum excitare queat; atque ita hoc titulo templa dici queant, *domus Dei & domus Orationis.*

XV. Hunc in ſinem jam pridem uſus ſacrarum imaginum in templis ſeu Eccleſiis probatus fuit; atque noviffime contra noſtri temporis Hæreticos retinendum eſſe declaravit Synodus Tridentina *ſeſſ. 25.* in Decreto *De Invocatione, Veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & Sacris Imaginibus;* *“non quòd credatur in eſſe aliqua in iis Divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ; vel quòd ab iis ſit aliquid petendum; vel quòd fiducia in imaginibus ſit ſignificanda; veluti olim fiebat in genibus, quæ in indolis ſperni ſuam colloabant; ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, referretur ad prototypa, quæ illa repræſentant; ita ut per imaginem, quas oſculamur & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illa ſimilitudinem gerunt, veneremur.”*

XVI. Idipſum populo ſedulo inculcari Synodi noſtræ Belgicæ Parochiſ præcipiunt; vultque Synodus P. I. Cameracenſis titulo *De Imaginibus cap. 3.* *“Doceatur præterea populus imaginum cultum nullum deberi aut propter materiam, aut propter elegantiam, aut propter pretium operis, aut propter quidvis aliud, quod ſit in artificio, aut imaginis ſubſtantia; ſed propter rem ſignificatam, ad quam hic cultus & honos præcipuè referretur. Et ſic admonendus eſt, animum orantis, aut venerantis in rem ſignificatam referri, & non in ſignum: quod nec audit, nec videt, nec ſentit.”*

XVII. Quare in Concilio Colonienſi anno 1452. celebrato per Dominum Nicolaum de Cuſa Cardinalem & Legatum de latere per Alemaniam, comprobante Domino Archi-Epiſcopo Colonienſi Theodorico ſtatutum fuit, ut *“ſi Ordinarii in viſitationibus ſuarum Diœceſium vel aliàs reperiant concurſum populi ad aliquas imagines, cognoverintque in informatione ſummariæ receptæ, populum amplius ad diſpoſitionem figuræ talis imaginis, quam ſalva fide expediat, inclinari, quod tunc imaginem tollant, & alias omnino provideant, ne idololatriam committant.”* Habetur tomo 13. *Concil. general. vol. 1. 382.*

Similiter Synodus Moguntina anno 1549. *Can. 42.* *“præſertim ſuperſtitioni viam præcludere volens, omnibus locorum Ordinariis injungit ut ſi forte in territoriis ſuis ad imaginem aliquam concurſus fieri, & homines ad ipſius imaginis figuram reſpectum habere, & qualiſi quamdam Divinitatis opinionem illi tribuere animadvertent, ipſam imaginem pro cauſe qualitate aut tollant aut mutant, & aliam à prima notabili quantitate differentem reponant, ne rudis populus, in intellectu ſuo depreſſus, & ideò per media corporalia ad divina erigendus, ſpem ſuam contra*